

**Galenī axioma, mores animi sequuntur temperamentum corporis, oratione in celebri Altdorfina explicatum / a Friderico Jacobo Brunone.**

### **Contributors**

Bruno, F. J. active 1683-1690.

### **Publication/Creation**

[Altdorf] : Literis Henrici Meyeri, Vniversitatis Typographi, A. C. MDCLXXXII.  
[1682]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fq2pfghd>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

70.  
GALENI AXIOMA:  
MORES ANIMI SEQVUN-  
TVR TEMPERAMENTVM  
CORPORIS,

# ORATIONE

IN CELEBRI ALTDORFINA

explicatum

a

FRIDERICO JACOBO BRVNONE,

ALTDORFINO,

Philos. & Medic. Cultore.

---

Literis HENRICI MEYERI, Vniversitatis Typographi.

A. C. *cl l c* LXXXII.







PROGRAMMA.

M. MAGNVS DANIEL OMEIS,  
Moralium & Eloqventiæ Prof. Publ.

L. B.

S. P. D.



**M** Ille hominum species, & rerum discolor usus.  
Velle suum cuiq; est; nec voto vivitur uno!

Quot capita, tot sensus; & quàm varia hominum genera, tam varii mores. Animadvertimus enim, non tantùm quamlibet mundi partem peculiari suo gaudere genio, sed & unicuiq; regioni ac ætati suas quasi naturales & congenitas esse virtutes, vitia, mores. De ætatibus notum illud Poëtæ:

*Diversos diversa juvant: non omnibus annis  
omnia conveniunt: res prius apta, nocet.  
Exsultat levitare puer, gravitate senectus;  
inter utrumq; manens stat juvenile decus.*



E populis Americani barbari sunt atq; inculti; Africani astuti ac fraudulentum; Asiani inflati ac molles; Europæi viriliores cultissimiq; omnium. Vt jam nihil dicam de candida Germanorum simplicitate, & recondita Italorum mente; nihil de Gallorum civilitate, lepore, celeritate, & lentis Hispanorum consiliis ac tumore; nihil de Scytharum







immanitate, Sarmatarum ferocia, Syrorum avaritia, fluxa Græcorum fide, Cretenſium levitate, Pœnorum perfidia, Bœotorum ſtupore. Longum foret omnia perſequi. Qui volet, adeat quæ ingenioſè & eleganter de præcipuis diſſerit gentibus Joh. Barclajus in Icone Animorum; & quæ ſublimiter graviterq; congeſſit Scipio Claramontius in Opere incomparabili de Conjeſtandis cujuſq; moribus, & latitantibus animi affectibus. Contentus heic ero verbis unius ex antiquis, Siculi illius Genethliaci, Julii Firmici Materni, Lib. I. Mathes. cap. 1: *Scythæ ſoli immani feritatis crudelitate graſſantur. Itali ſunt regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, leves Græci, Afri ſubdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiani & voluptatibus occupati, Hiſpani elata jaſtantiæ animoſitate præpoſteri. Ergo Scytharum rabiem nunquam mitigat Jupiter: nec Italis aliquando Sol denegabit imperia: nec levitati Græcorum Saturni ſtella pondus imponit: nec Aſiana laſci-vitas ſobria Jovis moderatione corrigitur: nec Sicularum acumen frigido ortu aliquando Saturni obtunditur: nec Syrorum avaritia laſci-vis Veneris radiationibus temperatur: nec Afrorum malitioſa commenta & bilingues animos ſalutare Jovis ſidus impedit: nec Hiſpanorum jaſtantiam pigrum poterit Saturni lumen hebetare: nec Gallicam ſtoliditatem Mercurii ſapientiſſimum ſidus exacuet.* Quo in loco an rectè Julius ille de ſingulis gentibus ferat judicium, nihil nunc attinet enunciare. Satis eſt, ſi iſtud extra controverſiæ aleam poſitum maneat, diverſam eſſe diverſarum gentium hominumq; indolem





dolem ac mores. In illud potiùs jam inquirendum, unde tanta morum inter homines diversitas? Quæ quidem quæstio jam multis retrò seculis crucem excellentissimis fixit ingeniis. Eruditorum plurimi hanc morum in populis diversitatem diversis climatum, soli, situsq; conditionibus adscribunt. Alii hominum singulorum mores vim sequi siderum, in primis Planetarum, influentem in corpora hæc inferiora, audacter docent; & sub Saturno quidem tristes, morosos, truculentos; sub Jove mites, liberales, ingenuos; sub Marte fortes, iracundos, magnanimos; sub Venere, blanditiarum matre, molles, fœcundos, hilares; sub Mercurio dociles & sagaces; sub Luna autem ac Sole, magnis illis luminaribus, prout genius eorundem, efficacior præ cæteris, diversa temperatur constellatione, nunc generosos, nunc degeneres nasci ac propagari. Galenus, celebris ille Medicorum coryphæus, libro singulari probatum ire non dubitavit, *Mores animi sequi temperamentum corporis*; ac pro diversa ratione caloris, frigoris, humoris, siccitatis ejus provinciæ, ubi degimus mortales, ciborum quibus vescimur, aquarum quas bibimus, aëris quem haurimus, homines itidem variè affectos profilire: ita ut alii hebetiores, alii sapientiores, generosi alii, alii timidiusculi, hi





teſti ac ſimulatores, illi aperti candidique, hi perfidi, illi fideles, hi ad Venerem proniores, iſti verecundi ac temperantes, alii increduli, alii perſuafu facillimi exiſtant. An verò probandum ſit, & quomodo intelligendum illud Galeni ſcitum: *Mores animi ſequuntur temperamentum corporis*; primâ craſtini pomeridianâ perquam eleganti & arte ac methodo *ιατροφιλοσοφικῇ* conſcriptâ Oratione edifferet Vir-Juvenis nobilibus temperatisq; moribus, ac fervente, quam Philoſophiæ pariter ac Medicinæ feliciter impendit, indiſtriâ, ad maxima quæq; tendens, DN. FRIDERICVS JACOBVS BRVNO, Altdorfinus, Magnifici nunc DN. RECTORIS eximiæ ſpei Filius. Neq; verò alteri provincia hæc rectius poterat demandari, quàm huic noſtro; quippe qui & Patrem excellentem Medicū, Avumq; inſignē Philoſophum, ſingulari naſcendi felicitate eſt naſtus, & excitatiſſimâ ad ſectandam famam eruditionemq; tum paternam tum avitam indole, divinò beneficiò gaudet. Quanquam in boni vini & boni viri (quidni etiam boni juvenis?) natales inquirendum non eſſe Divus Ferdinandus I. Imp. pronuntiâſſe fertur ſapientiſſimè. Auditum ergò venite dictâ horâ, ita obſervanter & quàm poſſum ſtudioſiſſimè rogo,


MAGNIFICE DN. RECTOR,

EXCELLENTISSIMI FACVLTATVM OMNIVM  
DNN. PROFESSORES,

Vosq;, SPES ET ORNAMENTVM SECVLI,  
NOBILISS. ATQ; ERVDITISSIMI DNN. STVDIOSI,

Vestraq; frequentia laudato Declamatori ad majora calcar addite! Meretur hoc benevolentia officiiq; genus Magnus Parens, meretur filius, meretur argumentum, atq; ipſa deniq; Oratio. Proinde preces meas extendere nolo. Rogat enim, & quidem efficaciffimè, qui reddit cauſſas rogandi. P.P. IV. Idus Novembr. A.R.S. cio 13 c LYVVU.





# ORATIO.

*Magnifice* DN. RECTOR,

Dn. Parens devenerande,

*Excellentissimi Celeberrimiq; Ordinum omnium*

*ac Scientiarum* DNN. DOCTORES

ET PROFESSORES,

Domini Patroni atq; Præceptores

obsequiosè colendi;

*Tuq; reliqua generis nobilitate atq; eruditionis*

*laude Præstantissimorum Auditorum florentissima*

*Corona!*

**N**ter ea , quæ in comitiis prudentum Philo-  
sophiæ moralis definita leguntur Doctorum  
axiomata, si ullum unquam, hoc sanè laude  
frequentiq; commemoratione dignissimum  
meritò habetur: *Ad Virtutem Natura nos gi-*  
*gnit, Doctrina excitat, Consuetudo perficit.*  
Quod Albertus M. ita enunciâsse fertur: *Natura nos facit*  
*habiles, Ars faciles, Exercitatio sola potentes.* Aliis sequentem  
in modum exprimere placuit: *Natura incipit, Ars dirigit,*  
*Exercitatio perficit.* In quo verus caussarum ordo, quarum  
ope virtutes gignuntur morales, continetur exactissimè.  
Nempè enim provida salutis magistra Natura, uti omnium  
rerum parens, ita prima probitatis semina & opus, nobis  
largitur atq; suppeditat. Hinc Philosophorum quondam  
Phœ-



Phœnix Aristoteles cujuslibet virtutis moralis veluti rudimenta naturâ nobis inesse scripsit. Imò aureum illud eloquentiæ flumen Cicerò virtutem ad summum perfectionis culmen perductam, Naturam appellare non dubitavit. Quoniam verò igniculi illi facillimè negligentia aliisq; ad improbitatem vergentibus occasionibus exstingui possunt, accedit maturè dextra Informatio scintillulas naturales magis magisq; fovens atque excitans. *Doctrina* namq; *vim promovet insitam, redigq; cultus pectora roborat.* *Doctrina* hominem *μεταρρυθμίζει*, h. e. *concinнат & componit.* *Concinnans autem & componens naturam ei tribuit.* *Doctrina atq; literarum studium naturam laudabilem eximiè reddit ornatam; ibi prudens invenit, unde sapientior fiat; ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur.* Ultimam verò veluti manum imponit propria Assuefactio atq; Exercitatio, quotidianis rectè & præclarè agendi exemplis confirmata. Quemadmodum enim consuetudinis magna vis est, ut jure merito altera dicatur Natura; sic contrà iners desuetudo oblimat ingenium ita, ut difficile sit tenere, quæ acceperis, nisi exerceas. Quis jam non intelligit, Assuefactionem & Exercitium symbolum suum conferre, ut homo virtutis splendore emicet? Datur nimirum Exercitatio corporis pro acquirenda vel conservanda corporis sanitate; datur Exercitatio præludiorum artis pro acquirenda ejusdem perfectione; datur & Exercitatio morum, pro virtutum moralium acquisitione. Quamvis verò plerorumque Philosophorum calculis hic causarum ordo in negotio virtutis moralis comprobatus sit; eum tamen ordinem destruere Stoici semper conati sunt, nimiam naturæ tribuentes prærogativam. Docuerunt quippe virtutes animo inesse à natura, cumq; iis homines nasci. Ideoq; ad vitam beatam ipsa nos perduceret Natura, nisi pravis abduceremur opinionibus, judice Tullio. Perinde

Clemens  
Alexand.

Cassiodo-  
rus.



inde igitur istis erat, naturæ convenienter vivere, ac secundum virtutem vivere. E contrario vitia inesse præter naturam, licet & hæc tam altas sæpè in animis hominum agant radices, ut haud facile extirpari atq; evelli queant. Ab hac Stoicorum hypothese propius abesse videtur alter artis Medicæ antesignanus Galenus, contendens, causam virtutum ac morum esse Temperamentum corporis; quam etiam sententiam peculiari adstruere conatus est libello. Quandoquidem verò illemet ipse libellus lectoris animum nullo negotio dubium reddendo suspendere possit, ut ei, quò se vertat, non satis constet. An igitur Galenus rem, quod ajunt, acu tetigerit, & quomodo argumentum illius, *Mores animi sequi temperamentum corporis*, rectè intelligendum sit, paucis in præsentia differendo explicare animum induxi. Non autem eò annitar, ut variis verborum ampullis & pigmentis argumentum hoc splendorem nanciscatur, sed verus & genuinus ejusdem sensus dilucidè, ac methodo quidem *ἰατρικὸν φιλοσοφικόν* proponatur. (Pictorum scil. more, veram rei alicujus imaginem magis, quàm colorum amœnitatem in precio habentium.) Equidem non me fugit intricatæ hujus materiæ sublimitatem altioris esse indaginis, quàm ut ingenii mei hebetudine eam perscrutari queam. Atenimverò, quoniam & in magnis voluisse fateor, apud bonos cordatosq; viros conatus hosce meos æqui boniq; consultum iri planè confido. Hac suffultus fiducia, à vobis, Dnn. & AA. Ordinum omnium Honoratissimi, qua decet reverentia expeto atq; contendendo, ut in verbis faciendis desudanti æquo animo adesse, vestraq; favoris aura me reficere non gravemini.

**A**sferti igitur sui veritatem demonstraturus Galenus, à variis quidè argumentorum momentis, uno tamen potissimum



mum fundamento palmario libelli sui telam exorditur. Nempe enim animam, etiam humanam rationalem, nihil aliud esse, quam temperaturam corporis firmissimè sibi persuasum habuit. Platoni equidem animam hominis immortalem & incorpoream substantiam asserenti contradicere minimè ausus est; ingenuè quippe fassus, se intimiorem animæ essentiam, qualis illa sit, mentis suæ indagine haudquaquam assequi posse. Attamen probabilior ipsi semper visa fuit alia opinio, cui etiam patrocinium commodare non dubitavit: hac autem statuitur, animæ substantiam è qualitatibus corporis, calida, frigida, sicca & humida provenire, & illius esse formam, ceu corporum naturalium principium constitutivum (uti loquuntur Philosophorum filii.) Maximum insuper, cui nititur Galenus, fulcrum est, quòd non solum animæ Vegetantis & Sentientis, sed & Animi nostri rationem ita comparatam esse existimaverit, una quasi fidelia plures dealbando parietes. Siquidem & anima rationalis sit cerebri temperamentum, à quo variæ postmodum actiones tanquam rivuli à caussarum fonte promanent. Posito hoc fundamento, facillimum sanè fuit, totam morum, virtutum moralium, vitiorumq; oppositorum, machinam superstruere. Quid enim, quæso, mores aliud sunt, quam effectus & cum his conjunctæ animi passiones? Quid virtutes morales, harumq; opposita vitia, quam mores ad certum habitum crebra exercitatione sive bonum & laudabilem, sive pravum & vituperabilem redacti, necessariò temperamentum corporis sequentes? Sed ut clariorem asserto suo affunderet lucem Princeps Medicinæ Pergamenus, ad certissimam rerum omnium judicatricem experientiam provocat, hanc & propterea normam vitæ habendam esse eorum, quæ excogitaveris, præcipiendo. Ea quippe satis superq; testatur, à teneris statim, quod Græci ajunt, unguiculis observa-



fervari in puerulis maximam morum & inclinationum varietatem, dum alios timidissimos, audentes alios, quosdam inexplēbiles, cupediæq; addictos & simul impudentes; alios contra affectos unaq; verēcundos conspiciere licet. Cujus varietatis nulla fanè assignari posset caussa, nisi animæ rationalis essentia à temperamenti diversitate dependens permutationis esset particeps. Insuper Medicinæ segeti falcem paululum si immittamus, res isthæc extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Ibi enim quotidianæ observationes comprobant, homines calido & humido abundantes, Sanguineos dictos, lætos esse & hilares. Eorum quippe purpureum vitæ nectar magna scatet particularum balsamicarum copia, caloris nostri vitalis multiplicationi quàm maximè favente. Hic porrò mediante cordis motu per omnes microcosmi provincias distributus in cerebro tandem foecunda spirituum animalium mater est. Qui si non ipsam mentis nostræ essentiam, ejus tamen immediatum organum constituentes, morum quoq; & actionum vitalem vigorem attestantium necessariò fiunt auctores. Considerate, quæso, Cholericos, sub altera temperamenti, in quo calidum & siccum regnat, specie comprehensos. Hos in fermento, quod in proverbio est, jacentes, ad iram pronos, temerarios, inconstantes, quamvis & ingeniosos esse, videbitis omnes. Siquidem (liceat mihi verba usurpare sagaciorum naturæ scrutatorum) portiones sulphureo-salinæ, adustæ ac lixiviosæ in sanguine latitantes velociori motu insignem etiam inter spiritus animales excitant tumultum. Hinc istæ sunt in actionibus celeres, otia fugiunt; ad risum proclives valdè, re exigente, aliàs severi, irritati recalcitrant. Contraria penitus indole præditos observabitis Phlegmaticos & Melancholicos. Prout nempe in eorum sanguine portiones, uti vocantur, excrementitiæ & à genuina ejus na-



tura deficientes plures adfuerint. Peccans enim in illis nimia cum frigiditate humiditas, effectus etiam producit temperiem hanc arguentes. Utpote in actionibus fegnes, ingenio hebetes, & ad conversationem inhabiles deprehenduntur. In horum verò temperamento, quod frigidum & siccum est, liberior spirituum animalium meatus obstantibus hinc inde impurioribus salinis-acidis, terrestribus, fixioribus particulis impeditur. Inde in conversatione morosi, rarus in iis risus, rara ira, at tardè hæc sedatur; imò ingenio tam variū, quàm ipse Proteus. Hæc ipsa verò temperamentorum varietas in diversis regionibus diversisq; locorum incolis cum animadvertatur, morum quoq; discrimen ingens diffitas inter gentes obtinere videmus. Quod indubitatæ planè veritatis esse, his Galenus indicat verbis: *Quis non cernit, omnes homines sub septentrionibus degentes corpore & animo prorsus contrariè affectos iis, qui torridam prope habitant Zonam? Aut quis nescit, qui inter hos medi regionem benè temperatam colunt, & corpore esse & moribus animi ingeniiq; felicitate & prudentia illis hominibus præstantiores?* Sed ulterius provehitur hanc temperamentorum varietatem à victu etiam rerumq; non naturalium usu deducere. Variis enim variæ gentes dum nutriuntur alimentis, diversos humores in iisdem gigni, partesq; omnes vel calidiores, vel frigidiores & humidiores fieri necessum est. Imò ipsam aëris temperiem symbolum suum ad mores formandos conferre censet. Qua in re Galeni assertum veritati prorsus consonum esse, quis est qui possit, qui velit ire inficias? Non enim solum diffitis adeò procul regionibus, sed vix paucis leucis à se invicem distantibus provinciarum urbiumq; diversarum incolis sollenne morum discrimen esse, experientia testatur. Et ingentem facilè exemplorum catalogum contexere possemus, nisi hoc Vobis, Dnn. & AA. jam compertissimum esse sci-



scirem. Quid? quod unusquisq; nostrum in variis variorum vicinorum licet quandoq; locorum incolis hoc observare poterit. Sanè diversam eorum naturam si expendimus, variam victus, aëris aquarumq; quibus sustentantur, conditionem si ponderamus, nemo non animadvertet, multum à se invicem differre non facie tantum ac corporis perfectione, sed ipsis etiam animi moribus. Enim verò aliis adhuc argumentis sententiæ suæ Galenus robur conciliare ausus est. Perpendite, quæso, nervam, ex ætatis discrimine depromptum. Etenim

*Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo,  
Sic variat natura vices, infantia repit,  
Infirmus titubat pueri gressusq; animusq;  
Sanguine præcalido ferret nervosa juvenata,  
Mox stabilita venit maturi roboris ætas.*

uti elegantissimè scribit Christianorum Poëtarum eruditissimus pariter ac prudentissimus Prudentius. Hanc verò ætatum varietatem diversos secum trahere mores omnium rerum hospes ignarus meritò habendus esset, qui in dubium vocare temerè auderet. Ut infantiam sicco præteream pede, quippe cui propriè mores ob corporis imbecillitatem, & deficientem perfectum adhuc rationis usum attribui nequeunt.

*Exsultat levitæ puer, gravitate senectus,  
Inter utrumq; manens stat juvenile decus.  
Hunc tacitum tristemq; decet, fit clarior ille  
Lætitiæ, & linguae garrulitate suæ.*

Ipse etiam Peripateticorum Philosophorum Princeps varios ætatum mores egregiè depingit. Pueros namq; & adolescentes moribus cupidos, ad libidinem pronos, in horas mutabiles, iracundos, sodalitii & amicorum studiosos, misericordes, facetos, omnia cum vehementia agentes exhibet.



E diametro senes jam à vigore remittentes contrariis penitus moribus ut plurimum præditos, incredulos, suspiciosos, timidos vitæq; cupidos sistit. De quorum moribus etiam Lyricorum Siren Horatius ita canit:

*Difficilis, querulus, laudator temporis acti  
se puero, censor castigatq; minorum.*

Mediæ verò ætatis & in vigore constitutos, inter puerorum & senum intermedios obtinere mores demonstrat. Et quidni? Quemadmodum enim plerunq; temperamento corporis temperatiore sanguineq; puriore gaudent: ita eorum mores huic etiam respondent. Siquidem neq; nimis confidunt, neq; nimis metuunt; neq; omnibus fidem habent, neq; planè nulli fidunt; temperantes cum fortitudine, & fortes cum temperantia existunt. Commoda igitur inter juventam & senectutem divisa retinent in virili ætate media constituti. Ut autem immaturus hic ingenii sui foetus judiciorum iniquitates tantò facilius ferre quiret, ex sapientum quam plurimorum auctoritates, quarum umbraculo assertum suum obvelare Galenus minimè veritus est. Ut merx sua facilior emtorem inveniat, hederam suspendit. Ut inter adversariorum tela salva evadat sententia, auctoritatis clypeo eam munit. Ut aliorum facilius suffragium impetret, summorum Virorum calculis libellum suum obsignat. Et primum quidem Platonis, quem totus eruditorum chorus κατ' ἐξοχλὴ Divinum appellare non dubitavit. Hunc verò Galeni asserto quàm maximè favere, ex ipsius verbis patet. Nemo, inquit, spontè malus est, sed ob pravam corporis constitutionem & temperiem æquè ac rudem educationem fit malus. Quin imò clariùs adhuc alibi scripsisse legitur: Humores biliosi, pituitosi, acidi, salsi, corpus per vagantes haud ritè si segregentur, sed animæ penetralibus admodum permiscendo sese contempera verint, varii generis molestias morbosq; animæ producant gravi-



*graviores leviores ve. Sæpe & audacias vel timiditates, item obliviones atq; ingeniorum hebetudines ingerunt. Quem porro non alliceret ad assentiendum testimonium Magni Aristotelis? dum hoc in patrocinium Galeni scriptum reliquit: Sanguis crassior ad corporis robur, tenuior ad sensus intellectusq; vim plus confert; metûs pariter affectui est opportunior. Ideoq; exsanguia animalia timidiora multò observantur sanguinis fibrosi robore gaudentibus. Ipse tandem primus artis Medicæ princeps Hippocrates est, cujus auctoritate suffulcitur Galenus. Tantus fanè vir, ut ejus scripta non humano ore progressas voces, sed Divinas æstimaverint viri doctissimi. Hic quoq; in Pergameni sententiam abire, eamq; satis confirmare videtur. Toto quippe in libello de aëre, locis & aquis, solide evincere satagit, non corporis solum temperamentum, sed animi etiam mores in diversis mundi partibus varietati esse obnoxios. Quò scilicet temperatior regio quædam fuerit, mores quoq; temperatiores fieri expressè scribens. Ut autem magnum assertum foeneretur lumen, perspicuam satis idem Causa annectit rationem. *Neq; enim, inquiens, à calore temperata ejusmodi regio exurit, neq; squaloribus perarescit, neq; à frigore conficitur.* En trigam Viro- rum omni exceptione majorum validissimam! Tantis Coryphæis præeuntibus refragari nefas sibi meritò duxit Galenus. Quandoquidem & sapientum alii quamplures calculum suum utraq; manu adjicere non dedignati sunt. Et cer- tè rei alicujus veritas exemplis si elucescit, hæc evidentissima est. Sed exemplorum fluentia in unum quasi rivulum contra- hendo, testem hujus rei sufficientissimum Themistoclem in theatrum duntaxat producam. Hic tantum naturâ valuit, ut ob ejus præstantiam nos meritò in admirationem rapiat. Etsi verò nil ad eam initiò didicerit, neq; deinceps sibi comparârit; ad maximum tamen intelligendi acumen pervenis-  
se,*



se, testatur Thucydides. Minima enim deliberatione habita, de casibus repentinis consultor erat certissimus, & futurorum maximam partem conjector optimus. Quæ in manibus habebat, ea etiam explicare potuit. Quorum usum ignorabat, non antè dimittebat, quàm de iis rectè existimaret. Ad summam : Naturæ facultate & usûs brevitatem adeò plurimum valuit hic vir, ut ex tempore gereret, quæ gerenda essent. Nec silentii conopeo involvenda est Physiognomia, scientia, reliquis divinatricibus omnibus firmior & certior; quæ summos propterea undiquaq; viros sui reperit cultores. Cujus tamen disciplinæ ficulneum sanè foret fundamentum, si nihil ad mores & indolem faceret corporis dispositio ac temperatura. At enim verò hæc ipsa scientia ab extimis, quæ in hominum corporibus conspiciuntur, signis, eorum naturas moresq; ita demonstrat, ut intimos animi recessus tanquam *καρδιογραφία* perscrutari videatur. Desideratis exempla? Socratem attendite! Nonne is, teste Plutarcho, ex optima corporis constitutione, Alcibiadem ad supremum in Republica honoris culmen perventurum esse, verissimè prædixerat? Nonne Cleanthes Philosophus è corporis specie mores dignosci posse docuerat? Audite, quæso, Jamblichum, peculiarem Pythagoreorum morem enarrantem! Venientes, inquit, ad istos discendi gratia non prius admittère, quàm figuram, incessum, & totius corporis motum diligentissimè perspexissent. Planè igitur scientiæ hujus adminiculo è naturæ signis, num ad liberalium artium studia apti forent, necne, cognoscentes. Neq; dubitarunt, naturam ipsam animorum quasi ideas in corporibus exhibere, per quas ipsa hominum ingenia deprehendi possint. Quid? quod Spartanos scientiæ huic nimium fidentes medium penè excessisse referat memoratus Plutarchus. Genitori enim jus nutriendi subolem minimè concessum, quin potius eam



eam in quendam locum deportare necesse fuit. Sedentes ibi ex tribulibus nati maximi infantem pulchrè effectum ac robustum cum animadverterent, educari jubebant; sin autem ignavum & deformen, ad locum exponendum demittebant secus Taygetum præcipitem ac præruptum. Perinde quasi ejus vitæ, qui minus pulchrâ statura ab initio, & ad bonam corporis compositionem aut robustiorem naturam productus non esset, neq; sibi, neq; Reipublicæ utilis foret. Nolo vestra AA. abuti patientia, alias dies me citius, quàm dicendi materia deficeret. Veterum certè sapientiores scientiæ huic animi mores atq; indolem ab externa corporis perfectione prænoscenti multum tribuisse satis abunde constat. Et quid opus est multis? Illorum testimonia quam plurima per omnes & singulas corporis partes in sensus, præsertim visum, incurrentes, singulari studio in unum veluti fascem collegit prolixo sat volumine Joh. Baptista Porta, Neapolitanus.

Percepistis adhuc, Dnn. & AA. quàm nitidum veritatis splendorem Galeni assertum præ se ferre videatur. Percepistis, quàm variis argumentorum coloribus veram opinionis suæ effigiem delineare conatus sit. Percepistis etiam, quanto persuadendi studio eam ipsam lectoris animo insinuare contenderit. Neminem igitur admiratio subire debet, si suffragantium numero certare valeat Galenus. Verum enim verò controversiæ hujus momenta pensculatius expendenti, tanti non esse ponderis in patrocinium Galeni affiatim adducta, mox patefcet. Sanè an tot ver ranas, aut æstas cicadas, quot sententia hæc progigneret absurditates, nescio. Eam enim absolutè sumtam erroneam planè, & à vera Philosophia, non dicam Christiana fide, alienissimam esse, grata brevitate demonstrabo. Equidem non pauci gentilium æquè ac σοφιστοὶ sapientissimi viri, mentis rationem

C

in



incomprehensibilem esse, ingenuè fassi sunt. Atenimverò nemo mihi vitio vertet, spero, si certi quid de ea statuere ausim. Mentem quippe nostram incorpoream substantiam esse, tum è Divini Numinis revelatione, tum ex Philosophia, ipsisq; mentis operationibus, quis est qui non cognoscat? Ultrà verò aliquis ducatur opinione, in Galeni tamen sententiam abire potest neutiquam. Hic enim animum cerebri temperamentum constituendo, neq; incomprehensibilem ejus rationem, neq; incorpoream substantiam esse, manifestè indicat. Et certè, si mens natura esset corporea, explicet mihi Galenus, declaret Epicurus, ostendat Democritus, vel quisquis causæ hujus patronus, unicam saltem mentis humanæ cogitationem, & erit mihi magnus Apollo! Considerate, quæso, subtilissimas illas Scholarum tricas! Percurrite omnium artium ac scientiarum emporia! Perpendite Euclidean & Archimedeas illas ratiocinationes! Contemplamini alia ingeniosissima hominum inventa! quæ non miranda, imò stupenda ibi reperietis. Diversa licet fingatis corpuscula, nil nisi mera effingetis somnia. Verùm nihilominus animi mores mutari diversa locorum, alimentorum, temperamentorumq; corporis ratione, arctissimum potius arguit vinculum, quo mens corpori juncta est. Sed tacitè quis mihi vellicat aurem, clariorem hujus vinculi & connexionis postulans explicationem atq; imaginationem. Is verò æquè se absurdum esse sciat, ac illum, qui posceret sibi sistendos sonos, ut eos videre queat. Sicut enim soni conspectum nostrum non subeunt, ita spirituum propriè dictorum (qualis mens est) operationes non admittunt imaginationem. Itaq; quod in corporeis imaginatio, hoc in spirituum operationibus solus assequitur intellectus. Illud ipsum tamen vinculum in causâ est, cur mentis, tanquam universi hujus microcosmi moderatoris, jussa spiritus animales



les totumq; corpus exsequantur. Hi spiritus è purissimis vitæ nectaris particulis originem trahentes immediatum mentis existunt organum. Quid ergò mirum, si illi à sanguinis propter regionum alimentorumq; varietatem crasi mutata mutationis fiant participes. Quoniam autem menti arctissimo foedere juncti sunt, varios inde producant animi mores. O fragile igitur Galeniani asserti fulcrum, quo concusso, totum statim ruinam minitatur ædificium ! At aliis quoq; rationum telis impugnari imò convinci facile poterit. Compertum est in multis etiam viris sapientibus, interveniente debita educatione, & matura assuefactione naturæ inclinationem permutante, mores planè cum temperamento pugnasse. Luculento nobis potest esse exemplo Socrates. Is à Zopyro, Physiognomone certissimo, pro stupido & bardo, imò & Venereo habitus fuit, ita ut ab Alcibiade hic pleno derideretur cachinno. Nec improbavit tamen illud judicium Philosophus, *Talis omnino essem, dicens, nisi me educatio alium reddidisset.* Ita de Stilpone Megarico Philosopho enarrat Cicero, quod illis temporibus fuerit vir acutus & probatus. Hic naturæ inclinationem ad ebrietatem & libidinem adeò doctrinâ edomuit ac compressit, ut nemo unquam vinolentum ipsum, nemo ullum in eo libidinis vestigium viderit. Annon Xenocrates Polemonem ex ebrioso & impudico adolescente virum continentissimum reddidit & sibi successorem ? Nonne Socratem ex lascivo optimum fecisse Philosophum Phædonem historiarum monumenta produnt ? Sic contra bona naturæ semina, neglectâ sæpè educatione & assuefactione in mores pessimos degenerasse, exemplis viam monstrans experientia testatur. Etenim quem fugere possunt exempla eorum, qui in naturam suam injurii pubescentem bonæ indolis florem suffocando, in sterile lolium converterunt ? Hujus rei testem produco pessi-



munus illud humani generis monstrum Neronem. Postquam hic, referente Suetonio, ex Augusti præscripto se Imperatorem professus esset, neq; libertatis, neq; clementiæ, neq; comitatus quicquam exhibendæ ulla occasione omisit. At pauculis labentibus annis, neglecta exercitatione, eum sub humana specie vix mentem humanam retinuisse notius est, quàm ut dici debeat. Taceo quoq; Alexandrum M. taceo Maximinum, taceo Carolum Crassum. Imò quam plures alios sciens præteribo, ne prolixiori relatione nauseam vobis pariam. Quid igitur absurdius hoc vel cogitari posset, mores animi necessitate quadam fatali naturale sequi corporis temperamentum? Sanè hæc necessitas inanes & supervacaneas leges redderet omnes, disciplinas, institutiones; tolleretur libertatem, quâ in nostra potestate situm esse constat, frugi esse vel nequam, agere vel non agere. Minimè insuper improbos poenis afficere opus esset. Mores enim animi à mala corporis temperie ortum trahentes mutare, humanas vires excederet. Siquidem

*Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.*

Corrigendi hoc modo essent mali mores remediis Physicis contrariis, boniq; conservandi similibus, neutiquam verò præceptis ethicis inculcandi. Quid, quæso, hoc aliud, quàm medio in sole caligare? Sed & alterum probationis emplastrum removeamus, quo asserti sui ἀκυρολογίαι lenire studet Galenus. Summorum scilicet Virorum auctoritatibus sententiam suam munire non veritus est. Attamen eorum testimonia omnia nihil aliud evincunt, quàm quòd temperies corporis inclinationem quandam ad bonos vel pravos mores menti adferre possit. Plato certè tantum abest, ut à Galeni stet partibus, ut senserit potius alia omnia. Libro namq; tertio de Rep. *Mibi videtur*, ait, *si corpus bonum sit, id animum sua virtute bonum non reddere; sed contrà, ani-*  
mum



*mum bonum suâ virtute corpus efficere, quàm fieri potest, optimum.*  
 Et Lib. VII. de LL: *κυριώτερον γὰρ ἐν ἐμψύχωνται πᾶσι τὸ πρὸς τὴν ἡθικὴν*  
*ἀλλ' ἔθ'.* h. e. *Præcipuè omnes mores omnibus ingenerantur*  
*propter consuetudinem.* Sic & Stagirites ad Morum Virtutisq;  
 perfectionem tria requirit? Naturam, Doctrinam & Con-  
 suetudinem sive Exercitationem; quorum postremum il-  
 lud, eas habere vires existimat, ut etiam, quod Naturæ deest,  
 egregiè corrigere & compensare possit. Non magis meher-  
 cle de oleastris, quàm de humanis pectoribus, verum est il-  
 lud Virgilii, quò fieri posse dicitur, ut exuant

--- *sylvestrem animum, cultuq; frequenti*  
*in quascunq; voces partes, haud tarda sequantur.*

*Adde, quòd egregias didicisse fideliter artes*  
*emollit mores, nec sinit esse feros.*

Tandem verus Physiognomiæ usus non inevitabilem mo-  
 rum animi importat necessitatem. Quamvis enim multum  
 ab externa corporis structura dependeat, nosmet tamen ipsi  
 nostri evadamus Physiognomones. Externa corporis con-  
 templatio sit instar speculi, in quo si quis semet contempla-  
 bitur, corporis optimam constitutionem conspiciat, pro-  
 curet, ne corporis dignitatem morum dehonestamento pol-  
 luat. Qui verò animam minimè commendabilem animad-  
 verterit, nàviter confurgat, ut virtutis exercitio corporis ma-  
 la signa rependat. Quam morum animi mutationem possi-  
 bilem etiam agnovit nunquam satis laudandus Hippocrates.  
 De eo siquidem Aristoteles Alexandro M. hoc recensuisse  
 fertur: Cùm Hippocratis figuram ejus discipuli accuratis-  
 simè depingi curarent, depicta & optimè expressa delata fuit  
 Philemoni. Qui cùm eam adspexisset & membrum mem-  
 bro comparâset, pronunciavit virum esse luxuriosum, lasci-  
 vum, & deceptorem. Ob quam caussam discipuli ejus in-  
 dignan-




dignantes penè flagellis Philemonem excepissent, quòd de Viro eximio talia judicasset absurdissimè. At iudicium hoc delatum ab iisdem discipulis ad Hippocratem, confessus est liberrimè: Philemonem verum omninò protulisse; sed amore Philosophiæ & honestatis se cordis sui concupiscentias omnes eiecisse, & studio abstinentiaq; acquisivisse, quod prius à natura negatum erat. O aurea tanti viri verba, omnibus virtutum & artium liberalium studiosis probè observanda!

Verum quoniam vestræ benevolentiae Zephyrum jamdiu orationi meæ afflatis, ejusdem vela paulò latius expansa contraham. Firmo igitur, nisi fallor, stat talo, Mores animi sequi temperamentum corporis, non modo inevitabili & immutabili, sed contingenter quandoq; & mutabiliter. Ideoq; nihilominus studio atq; asuefactione multis modis corrigi posse, clarissimum est. In statu equidem præternaturali (ut loqui amant *ἰατρῶν παῖδες*) quædam aliquando observatur morum necessitas. Biliosus nempe sanguis vehementiùs accensus agere hominem in furorem, atra verò bilis in delirium melancholicum conjicere solet. Nec mirum, ex abundantia crudioris pituitæ spirituum animalium vigorem obtundentis, mores notari stupidos, & fatuitate hominem laborare. Inprimis ubi causa morbifica naturæ jugum excutens, eam demum ipsam subigere contendit. Ad statum autem hominis naturalem salva veritate hoc applicare minimè licet. Huc enim non immediatè concurrat natura, sed doctrina etiam accedit & asuefactio. Ut jam nihil dicam de internis animi moribus, qui solius Spiritûs S. efficacia emendantur. Felicem deniq; additurus colophonem, acutissimi Philosophi, Georgii Gutkii, verbis oratiunculam meam obsignabo. Ad hanc etenim quæstionem, An mores sequantur corporis temperamentum? ita



is respondet: *Neg, simpliciter affirmo, neg, nego.* Si affirmarem, ubi maneret *Libertas* nostrarum actionum, ut taceam multa incommoda, quæ exinde concludi possent: si negarem, vim *Physicarum* rationum quæ effugerem? *Meum* certè non est *Veterum Philosophorum* probabiles opiniones sine causa rationeq; rejicere. *Sequuntur* igitur *Mores* *Temperamentum* & ab *Individuali* complexione oriuntur, non formaliter & effectivè, quia hoc modo *Rationem* causam agnoscunt; sed per quandam *Inclinationem*.

## D I X I.



☞ I. ☞

**B**RVNO, animi mores an corporis usq; sequantur

*Temperiem, explicuit mellea Svada Tua;  
Ex Cortinâ omen plaudens suggesit Apollo:*

Grande PATRIS famæ Te decus usq; sequi!

*Nobil. & Clariss. DN. ORATORI,  
Paternarum virtutum & eruditionis  
æmulo hæredi, de egregio  
Eloquentiæ specimine  
gratulabundus  
ita acclamabat*

JOHANN. MAVRIC. HOFFMANN,  
Phil. & Med, D. hujusq; Prof. Publ.  
II. Me



II.

**M** *Educe, carpe viam: Magni sunt verba Pa-*  
*rentis:*

Nec Tu, ter carum Pectus, vis *Icarus* esse:  
Sed, *Patris* exemplo, dicendi sat priùs artem  
Perdiscis, *Sophiamq;* colis, quàm sacra medendi  
Singula scrutari lubeat, vel pellere morbos.  
Perge Ducem sic usq; sequi, sic perge volando,  
Remigioq; *DEI* feliciter æthera carpe!

*Ita*

*Amoris*

*ab ipso usq; sacro fonte*

*sincerissimi*

*significandi*

*causâ*

*lmq; gratulatur*

**M. LUCAS FRIEDERICVS Reinhart/**  
Theol. P.P. & Ecclesiæ minister.

III.

**Æ** Quo cùm bona mens modio videatur in omnes  
*diuisa; in nobis cur varia illa tamen?*

*Corporis, heu, mores animi ingeniumq; sequuntur,*  
*temperiem: sic Tu, Docte Galene, putas!*

*Quàm verè, in promptu hic Orator dicere noster,*  
*Corporis haut, animi jussa sequutus, habet.*

*Deproperatis hisce versiculis*

*Pereximii Doctissimiq; BRUNONIS sui*

*Conatibus optima mente inge-*

*nioq; felicissimo profectis*

*animatus gratulatur*

**JOH. CHRISTOPH. STURMIUS, P. P.**